DE DYSCRASIA QUADAM AFFECTIONEM CORDIS, STRUMAM, EXOPHTHALMUM EFFICIENTE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IV. M. OCTOBRIS A. MDCCCL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Ferdinandus Nathanson
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
PESCH, med. et chir. Dr., et med. pract.;
ERDTMANN, med. et chir. Dr., et med. pract.
TEUBER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

VIRO

ILLUSTRI, CELEBERRIMO, HUMANISSIMO

JOANNI CHRIST. JUENGKEN

PRAECEPTORI MAXIME VENERANDO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

HISTORICA.

Complexum symptomatum, quibus morbus noster, affectio cordis cum intumescentia glandulae thyreoideae et exophthalmo, constituitur, primus omnium Dr. Basedow, Martisburgensis, observavit, quippe qui anno 1840 quatuor ejusmodi casus descripserit et ad commercium singulorum symptomatum inter se medicorum animos attendit (Cf. Casper's Wochenschrift. Jahrgang 1840). Triennio quidem ante Dr. Pauli in Annalibus medicis Heidelbergensibus casum evulgaverat, quo mulier triginta annorum, praegressis dysenteria et deprimentibus animi affectibus, catameniorum cessatione, cordis palpitationibus et prominentia bulborum fuerat tentata, veruntamen symptoma characteristicum, struma, deficiebat. Postea in Anglia Marsh, Graves, Mac Donnel, Begbie et White Cooper, Parisiis Sichel, in Germania Juengken et Romberg viginti sex hujusmodi casus observarunt, quorum nonnulli tantum complicationem affectionis cordis cum struma, alii complicationem affectionis cordis cum prominentia bulborum, plurimi vero omnium symptomatum complexum obtulerunt. Quos casus, quorum duos in policlinico

Berolinensi sub auspiciis Ill. Romberg ipse observavi, partim succinctius partim brevius hic adumbrabo et sub opusculi finem de mutuo symptomatum commercio, de aetiologia, prognosi et medendi ratione nonnulla subjiciam.

Exemplorum a Basedow evulgatorum, quae primum exponam, tria ad foeminas, unum ad virum pertinent.

Mulier trium et triginta annorum, elapsis aliquot postquam viro nupserat annis, febre intermittente quartana diuturna et hepatitide laboraverat, quas tumor hepatis haud mediocris exceperat. Interposito postquam haec symptomata sublata erant anno, rheumatismus accessit acutus, qui omnes permigravit articulos, profusis sudoribus magnam induxit debilitatem, oedema crurum, maciem universam, cordis palpitationes, pulsuum frequentiam insolitam cum eorum parvitate, pectoris oppressionem et asthma reliquit. Simul prominentia haud mediocris oculorum ceterum sanorum visusque acie normali praeditorum intraverat; aegrota palpebris apertis dormivit, speciem teterrimam exhibuit, attamen animum alacrem minime sollicitum prae se tulit. Quum etiam glandulae thyreoideae intumescentia esset exorta, Dr. Basedow jodum cum digitali purpurea eo adhibuit successu, ut symptomata reliqua remitterent, oculus vero adhuc debito magis promineat.

F., mulier, aetate infantili saepius rheumatismo articulari obnoxia, decimo quarto vitae anno menstruata, undevicesimo anno matrimonium iniit. Ad quartum usque puerperium, si a rheumatismo acuto per sex hebdomades protracto discedamus, integra valetudine viguit, quum vero infantem quartum ablactasset, catameniorum profluvium modò parcum rediit, commissoque errore diaetetico gravi, prorsus cessit. Aegrota mox languorem accusavit, in diarrhoeam pertinacem incidit, copiosos sudores noctu edidit, corpus mirum in modum macrescere, bulbi oculorum ex orbitis prominere coeperunt. Eodem tempore mulier cordis palpitationes, dyspnoeam, pectoris oppressionem sensit, spiritum tamen alte ducere potuit, pulsum obtulit parvum, admodum frequentem, manus continuo agitavit, sermonem rapide protrusit, propter ardoris sensum perpetuum collo brachiisque nudatis perflatui aëris frigidi sese committere amavit; nutrimenta cum appetitu hauriebat somnoque placido, quamquam apertis palpebris, perfruebatur. Exploratio tantum cordis ictum late diffusum, strepitum serratum in carotidibus et strumosam glandulae thyreoideae amplificationem exhibuit. Quod ad oculos pertinet, bulborum positio haud alienata, motus versus latera aliquanto difficilior, corneae rationes et pelluciditas, iridis positio atque mobilitas, scleroticae textura normae consentanea erant, veruntamen sclerotica duas — tres lineas infra et supra corneam conspiciebatur. Pupilla pura erat, bulbus oculi tactu tensus retrudi non poterat. Praeter tensionem aliquam mulier nihil dolo-

rifici in oculis sensit, saepius autem lacrymarum stillicidio laboravit, nec non inflammationibus levioribus tunica conjunctiva circumscriptis, quae impedita oculorum refrigeratione exortae, facile tamen auferebantur. Visus ne minimum quidem turbatus fuit.

Curatio ad debellandam cordis affectionem instituta tantum abest, ut auxilium tulerit, ut potius ad majorem gradum symptomata evexerit; usu demum longiore aquae soteriae fontis Adelaidani aegrota, etsi non absque recidivis affectionibus, eatenus instaurabatur, ut catamenia reverterent, struma dispareret, cordis morbi symptomata remitterent; bulborum tamen prominentia parum diminuebatur.

Apud tertiam aegrotam, quae puella chlorosi obnoxia fuerat, postquam infantes duos mammis suis nutriverat, morbus non secus atque in casibus modo descriptis evolvebatur, restitutis autem catameniis integra valetudo redibat nullaque reversio apparebat, id quod fortasse graviditatibus celeriter sese excipientibus, inter quas semper symptomata hujus morbi remittunt, adscribendum est.

Quartus casus inprimis eapropter memoratu dignus est, quod inter tres illos apud viros hucusque observatos pertinet, quod oculi alias semper incolumes accidentali ceratitide interierunt, quod demum primae sectioni post talem morbum occasionem praebuit. Vir erat quinquagenarius, staturae parvae, macilentus sed validus, qui negotia sua magnis virium impensis et ingente cordis anxietate administravit. Anno aetatis qua-

dragesimo secundo emeto-catharsi satis vehemente aegrotaverat et ex eo inde tempore copiosis sudoribus, pectoris oppressionibus laboraverat, quamobrem aëris frigidi perflatui sese committere amaverat. Paulo post oculorum bulbi prominere et glandula thyreoidea intumescere coeperunt. Aegrotus quum exploraretur, cordis ictum fortem cum sonitu metallico conjunctum obtulit, secundum strepitum susurrus excepit, in carotidibus strepitum serratum audire et tactu percipere licuit. Venter inflatus fuit, corpus macilentum, lienteria cum integra semper appetentia exstitit. Venaesectiones, hirudinum applicatio ad anum, digitalis purpurea, aqua amygdalarum amararum, mixtura sulphurica acida, derivantia externa, unguentum kalii jodati contra strumam adhibitum effectu salutari constante destituebantur. Nihilominus aeger, quoties aliquanto levatum sese sentiebat, regimini indulsit perverso, esculenta et potulenta, quae placuerunt, cum appetitu hausit, perfrigeriis sese commisit eaque de causa in ceratitidem rheumaticam oculi dextri, maxime prominentis, incidit, quae, quum iris etiam particeps ejus evasisset, exorta ulceratione oculum destruxit. Mox sinister quoque oculus eodem modo interiit, sed positio bulborum mutata non est, utriusque enim rudimenta inter palpebras distantes longe prominuerunt. — Universa aegrotantis valetudo in melius haud vertebatur, nam vehementes cordis palpitationes per intervalla accedebant, inter quas glandula thyreoidea, saepius quoque mamma sinistra intumuit spirandique difficultas intravit. Miserum hunc statum

aegrotus, quum, si lienteria remiserat, propter appetitum semper integrum vires reficerentur, usque ad quinquagesimum tertium aetatis annum sustinuit, quo cordis paralysis mortem intulit. — Sectio haec obtulit: glandula thyreoidea mirum in modum strumosa hydatidibus et varicibus fuit pertexta, pericardium normale, cor adipe cinctum, amplitudinem solitam longe excedens, sed inops substantiae muscularis, rotundum et planum horologii ad instar, ostiorum valvulae insufficientes, endocardium rubore cerasino imbutum; in dextro cordis dimidio coagulum globosum flavum, intersperso pigmento conspicuum. Ventris cavitas multum adipis, nihil autem aque exhibuit. Recluso cranii cavo et cerebrum et meninges normales, processus orbitales nec emolliti nec inflati apparuerunt; qui quum scalpro essent ablati, post rudimenta bulbi utrius que dimidio fere minoris, in ipso cadavere adhuc prominentis conus adiposus coloris sulphureo-flavi, duos pollices longus qui nervum apticum longe extenuatum et atrophicum circumclusit, in conspectum prodiit; musculi recti longi tenuesque fuerunt.

Ex casibus duobus, quos Marsh (Dublin. Journ. of medical science. Volum. XX) apposuit, unus modo complexum symptomatum perfectum ostendit, ad mulieerem pertinens quadaragenariam, corpore pusillo sed pleno, quae decem infantes partu ediderat et nunquam mensium anomaliis laboraverat. Vitam et somaticam et psychicam alacrem egerat curaque diuturna, quam cognato cuidam epilepsia laboranti dicaverat, continuae nervorum systematis exaltationi obnoxia fuerat. Primum ve-

hementes cordis palpitationes accedebant, facies pallida et aliquantum sufflata reddebatur, oculorum bulbi prominebant, venae colli admodum amplificabantur et glandula thyreoidea haud mediocriter intumescebat. Exploratio impulsum cordis validum late diffusum, majorem soni cordis obtusi ambitum, quam statu normali, secundi strepitus cordis debilitatem mirificam indicavit. Quo loco arteria carotis glandula thyreoidea superinjecta comprimebatur, strepitus sibilans molestissimus, quem ipsa aegrota audiebat, percipiebatur. Quavis excitatione cordis palpitationes intendebantur, nunquam vero pulsus citra ictus nonaginta intra horae sexagesimam partem exhibuit. Mulier, ut traditur, ferri hydrici usu in valetudinem integram restituebatur.

Minus prosperum exitum alter sortiebatur casus a Marsh evulgatus, spectans ad puellam juvenem, gravi cordis palpitatione, struma et ingente venarum colli amplificatione laborantem, quarum secunda et tertia increrunt, quo vehementiores cordis palpitationes apparueverunt. De morbi aetiologia atque de medendi ratione auctor nihil tradidit, de viso autem reperto haec scripsit: glandula thyreoidea irregulariter lobata multas cystas liquore claro impletas intus continuit. Loborum unus super carotide positus fuit, quae validam pulsationem toto cum tumore communicaverat. Vena jugularis interna lateris dextri adeo fuit amplificata, ut facta punctione evacuatoque multo sanguine atro liquido, pollicis unius ac dimidii ambitum haberet. Auricula sinistra mirum in modum dilatata apparuit, minus dextra,

ventriculus sinister mediocriter amplificatus et parietes crassiores, valvulae mitralis et tricuspidalis margines pariter crasscscentes.

Graves in opere „on clinical medicine“ quinque apposuit casus, quorum tres ad mulieres hystericas pertinebant et glandulae thyreoideae intumescentiam cum cordis palpitationibus complicatam offerebant, quae id habebat proprii, quod ingravescentibus aut mitescentibus palpitationibus increvit aut decrevit; neque in uno nec altero horum casuum morbi cordis organici symptomata se invenisse perhibet.

Quartus, de quo retulit, casus ad juvenem puellam spectabat, cui morbo hysterico obnoxiae primum affectio cordis, deinde glandulae thyreoideae intumescentia initio mollis, postea autem dura et elastica, tandem oculorum prominentia supervenerunt. Quales curatio, decursus et exitus fuerint, auctor haud adnotavit.

Quintum casum a Graves observatum Mac Donnel, (The Dublin Journal of Medic. science. Volum. XXVII pag. 200) exposuit. Viro nimirum quadraginta sex annos nato, qui graves semper labores subierat temperantiaeque indulserat, post diarrhoeam quatuor menses protractam, cum enterorrhagia et intestini recti prolapsu conjunctam, vehementes cordis palpitationes supervenerunt, impedientes, quominus aeger in sinistrum corporis latus decumberet; eodem tempore vir magnam virium inanitionem accusavit macieque extrema laboravit. Mox glandulae thyreoideae tumor apparuit praecipue sinistrum lobum occupans, qui imposita manu susurrum

evidentem, adhibito autem tubo acustico sonum musicum admodum clarum obtulit. Graves acidum hydrocyanatum et emplastrum belladonnae praescripsit, quae levamen aegrotanti attulerunt; maxime autem habitatio in agro eum recreavit. Cordis vero palpitationes perstiterunt et oculorum bulbi ex orbitis prominere coeperunt. Morbo per novem annos protracto, oculorum prominentia decrevit, cordis actio ad normam rediit, glandulae thyreoideae, quanquam soliditas major evaserat, amplitudo diminuta est.

In iisdem ephemeridibus Mac Donnel tres casus a semet ipso observatos apposuit, quorum primus ad foeminam pertinebat duos et viginti annos natam, cui post suppressam menstruationem cordis palpitationes vehementes et prominentia oculorum, minime autem glandulae thyreoideae affectio, supervenerant. Curatio antiphlogistica, quamvis actio cordis violenta exstitit, nocuerat, ferri autem praeparata, victus nutriens et emplastrum belladonnae cordis regioni impositum levaminis aliquid suppeditaveraut. Alter casuum memoratorum complexum omnium symptomatum, tertius modo cordis affectionem cum oculorum prominentia exhibuit.

Aliquanto diutius immorabor casibus a Begbie (Edinb. monthly Journ. Februar. 1849) descriptis, quippe qui adhibito ferro completam admitterent sanationem.

I. Foemina duorum et triginta annorum, quarto et vicesimo aetatis anno nupta, prolem vero haud enixa, longius per tempus animi pathematibus deprimentibus obnoxia et fluore albo profuso affecta erat, qui valetudinem

universam non mediocriter offendebat. Ex quatuor aut quinque mensibus palpitationes cordis conquerebatur, quae psychicis incitamentis, scalarum adscensu et quavis causa sanguinis circuitum accelerante ad summum evehebantur gradum: facies utplurimum pallida, sufflata, caput temulentum evadebant; oculorum bulbi ex orbitis longe prominentes torvi et trucis aliquid vultui impertiebant. Palpebrae distentae majorem albugineae partem, quae saturate violacea multisque vasis pertexta erat, non obtegebant; visus ne minimum quidem offensus erat, aegrota tamen dolorificam oculorum tensionem accusabat, quae pariter atque bulborum prominentia intendebatur, quoties cordis palpitationes et faciei rubor increverunt. Eodem tempore glandulae thyreoideae intumescentia apparebat, quae celeriter volumen triplo aut quadruplo majus normali obtinuit, mollis tactu fuit et id proprii habuit, quod ingravescentibus et mitescentibus cordis palpitationibus vel major vel minor evasit. Tumor vasis abundare videbatur tumorisque erectilis tactum praebebat. Pulsus centies ad centies et tricies intra horae minutam micuit, parvus fuit et vibrans, orta excitatione graviore susurrus accessit. Violenta cordis actio continuas capitis pulsationes induxit, quae somnum prorsus abstulerunt. Neque minus spirandi difficultates permagnae, lipothymiae frequentes, dolor capitis ingens, vertigines, aurium susurrus aegrotam exercuerunt. Ventriculorum cordis contractiones minus citae quam statu normali esse videbantur strepituque folliculari molli circa ostium aorticum stipabantur, qui et in carotidibus aliis-

que arteriis majoribus audiebatur; adhibita percussione nec sonus obtusus in regione cordis latius diffusus, nec impulsus intense adauctus inveniebantur. Nervorum systema maxime excitatum, digestio depravata fuit; menses parci debito tempore non accesserunt.

Quum omnia symptomata anaemiam innuerent, curatio huic adaptabatur: doses largiores ferri hydrici cum aloë, diaeta roborans animalis, crebra corporis exercitatio sub dio, commoratio circa oras maritimas imperabantur. Jam breve post tempus valetudo universa laetior evasit, fluor albus remisit, tumor strumosus cessit, oculi formam pristinam receperunt phaenomenaque morbosa in corde arteriisque obvia evanuerunt.

II. Altera aegrota, triginta annos nata, per tres quatuorve annos fluxum haemorrhoidalem perpessa, in anaemiam inciderat, ad quam noster morbus cum toto symptomatum complexu accesserat. Maxime aegrota, quoties e situ horizontali corpus erexit, doloris sensum accusavit, tussi conjunctum vehemente, quae cum capitis dolore, tanquam rumpatur aliquid, nec non cum imminentis vitae exitii sensatione consociabatur. Si aegrota recubuit et nutrimenti aliquid sumsit, illa symptomata remiserunt. Diuturniore ferri usu, victu roborante aëreque salubri contigit, ut anaemia perinde ac reliqua symptomata depellerentur.

III. Eundem prosperum eventum auctore Begbie experta est foemina quinquagenaria, haud maritata, cui morbus noster ex leucorrhoea profusa debilitante supervenerat. Begbie diaetam nutrientem largasque

ferri citrici doses adhibuit, atque hac curatione per annum prope continuata, symptomata omnia, excepto levi residuo, cesserant.

White Cooper (In the lancet 26. Mai 1849) quinque evulgavit casus, quorum duo apud puellas, alteram novendecim alteram viginti annos natam, anaemia laborantes, tertius apud puellam undeviginti annorum, quam morbus post catameniorum suppressionem perfrigerio inductam adgressus est, quartus apud foeminam quatuor et viginti annos natam post diuturnam sollicitudinem, quintus denique apud juvenem septendecim annorum observabatur. Apud omnes aegrotantes primum cordis palpitationes et capitis dolores, deinde oculorum prominentia et glandulae thyreoideae tumor se manifestaverant, omnes strepitum abnormem systolae cordis synchronicum obtulerunt, omnes denique roborante medendi ratione valetudinem integram recuperarunt. Quorum casuum unum fusius exponam, quippe qui curatione perversa prius adhibita certo indicaverit, oculi morbum non in hydrophthalmo cerni, ut primum existimabatur; ceterum infra hac de re plura dicam.

Puella quinque et viginti annos nata propter insolitam oculorum prominentiam in nosocomium ophthalmiatricum recipiebatur. A teneris inde admodum infirma decimo sexto aetatis anno menstruabatur et catamenia ad undevicesimum annum, quo perfrigerium grave suppressionem eorum induxit, legitime revertere consueverant. Ab illo inde tempore palpitationes cordis vehementes, capitis dolores intensi, vertigines pul-

sationes capitis erecto corpore, anorexia, artuum frigus, locum habuerant. Insimul glandula thyreoidea tumescere et oculorum bulbi prominere coeperunt. Medicorum, quos hanc ob rem consuluit, alii tumorem aliquem in fundo orbitae, alii humoris aquei colluviem adauctam, ergo hydrophthalmum, suspicati hydrargyrum adhibuerunt eoque modo oculorum conditionem haud mutarunt, valetudinem universam deteriorem reddiderunt. Oculi tam structuram quam functionem normales exhibuerunt facileque reprimi potuerunt. Haec quoque aegrota ferro et diaeta nutriente adhibitis tria post trimestria valetudinem recepit, non solum enim catamenia redierunt, sed etiam reliqua symptomata morbosa cesserunt.

Sichel in duobus, quos observavit, casibus (Bulletin général de Therapie. Mai 1848) administratis derivationibus et calomelane cum digitali, exophthalmum se sanasse et universum statum cachecticum kalio jodato in melius vertisse scribit.

Juengken M. Julio A. 1847 in clinico ophthalmiatrico, cui in caritatis nosocomio Berolinensi praeest, puellam duorum et triginta annorum auditoribus obtulit, apud quam praegressa endocarditide tria symptomata memorata emerserant; menses irregulares evaserant et exploratio physica hypertrophiam cordis cum parietum dilatatione indicavit. Dr. Kaufmann, qui dissertatione inaugurali (Berolini 1848) hunc casum divulgavit, de reliquo morbi decursu nihil tradidit, quoniam extera aegrota in patriam mox rediit.

Priusquam ad describendos casus a me ipso observatos me accingam, adnotare liceat, Ill. Jueugken et Romberg complures ante annos in thermis Visbadensibus sorores observasse gemellas, notis illis symptomatibus laborantes, quarum altera morbo intercurrente obiit et post mortem secta est. Dictis autem Viris quod ad exophthalmum pertinet, tantummodo relatum est, arteriae ophthalmicae ramos, oculo ceteroquin integro, aliquantum fuisse dilatatos.

Inde ab anno 1847 in policlinico Universitatis Berol. quod Ill. Romberg moderatur, tres hujusmodi casus observati sunt, quorum duos Dr. Henoch (S. Casper's Wochenschrift. 1848. No. 39) et Dr. Kaufmann (Cf. Dissert. cit.) provulgarunt, quare breviter tantum eos repetam, decursu ulteriore exituque adjectis.

Amalia Bourguette, septendecim annos nata, agricolae filia, ad decimum quintum aetatis annum integerrima valetudine erat gavisa. Sub dictum tempus, praegresso animi pathemate vehemente, in morbum incidit per septem hebdomades protractum. Invalescente paulatim refectionis stadio, derepente, inprimis nocturno tempore, gravissimis cordis palpitationibus tentabatur, inter quas glandula thyreoidea tumescere, oculi prominere inceperunt. Quae duo symptomata quum persisterent, puella die 17 M. Novembr. A. 1847 Universitatis policlinicum adiit, auxilium petitura. Tunc temporis plethorae universalis effigiem exhibuit, etenim genae rubore laeto aequabili erant notatae, oculi magni et nitentes ex orbitis quasi propul-

lulare videbantur, praeter hyperaemiam vero totius bulbi et conjunctivae palpebrarum nihil vitiosi prae se ferebant. Glandula thyreoidea pugni magnitudinem superavit manusque imposita ubique, praecipue supra claviculam, vibrationes sensit, quibus strepitus clari sibilantes respondebant, qui pulsibus isochronici non modo in tumore, sed etiam in decursu carotidum et subclaviarum arteriarum audiebantur. Instituta thoracis exploratione, haud mediocris regionis praecordialis prominentia, cordis impulsus inter quintam sextamque costam, magis tamen sinistrorsum, normalis probeque adhuc in dextro sterni latere et in epigastrio sentiendus, inveniebantur. Percussio inde ab inferiore margine costae secundae usque ad sextam sonum edidit fuscum; auscultatio sonos cordis normales, in pulmonibus ubique respirationem vesicularem obtulit.

Quum catamenia nondum accessissent, curatio his evocandis impendebatur ideoque insessus tepidi, adjecto decocto flor. chamomillae et summitatum millefolii, interne pilulae aperientes Stahlii, duae quovis vespere, adhibebantur.

Quae curatio ad diem 3 M. Februarii A. 1848 continuata quum salutari destitueretur effectu, per intervalla parcae venaesectiones administrabantur, alternis hebdomadibus hirudines sex — octo ad strumam applicabantur, cucurbitulae femorum paginae internae admovebantur, interne potus theiformis ex croco et herba sabinae, nec non pilulae ex aloës et nucis vomicae extracto praebebantur.

At ne haec quidem remedia menstruam purgationem evocare potuerunt, exophthalmus et cordis palpitationes persstiterunt, modo struma hirudinum repetitis applicationibus decrevit, sed ejus mollities in duritiem satis insignem abiit, quo facto cordis palpitationes atque susurrus evanuerunt.

Interposito biennio, quum puella mediocri valetudine gavisa et curatio suspensa esset, die 11 M. Martii eam adii. Facies modice rubefacta, prominentia oculorum, inprimis dextri, eadem ac antea fuit. Ne tunc quidem oculus plane claudi potuit, in exteriore palpebrae superioris facie venae intense evolutae apparuerunt. Aegrota ex aliquo tempore de lipothymiis pedumque languore ita conquerebatur, ut vias longiores emetiri non posset; nunquam oedema pedum, ne circa malleolos quidem, adfuerat. Exploratio physica a Dr. Henoch et me instituta haec obtulit: struma bis tertia voluminis parte decreverat, mediocriter dura erat, pulsationis et vibrationis expers, lobus dexter et medius prae ceteris prominebant venaeque in tumoris superficie ad regionem usque infraclavicularem magnopere injectae cernebantur. Carotides intense pulsabant, maxime supra claviculam, strepitus follicularis gravis in iis audiebatur. Tota praecordia inflata erant, regionis cordis undulatio a septima ad secundam costam cerni et tangi poterat; eundem per ambitum percussio sonum edidit fuscum, qui ad dextrum usque sterni marginem porrigebatur. Mucronis impulsus linea tenus dimidia sinistrorsum a mammae papilla sentiebatur. Proxime sub mamma strepitus fol-

licularis systolicus fortis audiebatur, qui primum sonum plane obruebat, secundum obscuriorem reddebat. Superiora versus magis magisque strepitus abnormis evanuit; in arteria pulmonali sonus primus additamentum quoddam crepitans habuit in aorta ambo soni normales fuerunt.

Pediluvia imperabantur irritantia cum spiritu vini, quo facto M. Junio catamenia primum fluxerunt, minime tamen symptomatum decrementum accessit, imo potius cordis palpitationes aliaque phaenomena accreverunt. Idem inter secundam menstruationem evenit et quum M. Augusto catamenia tertium fluerent, puella mane aliquo mortua in lectulo jacuit; cordis paralysis vitam exstinxerat. Proh dolor corporis sectio, quae, quod ex omnibus symptomatibus inter vitam obviis concludere licuit, cordis hypertrophiam cum dilatatione et valvularum insufficientia haud dubie exhibuisset, institui non potuit, quoniam parentes post sepulturam demum puellae mortem in policlinico enunciarunt.

N. Bode, maritata, quinque et viginti annos nata, corpore aestuante colloque nudata aëris perflatui se commiserat et perfrigerium passa strumae evolutionem, uti tradit, inter dolores experta erat; serius demum cordis palpitationes et exophthalmus supervenerant. Percussio in sinistro latere a dextra ad septimam costam magisque sinistrorsum quam statu normali, sonum obtusum, auscultatio sonos cordis normales indicavit. Medela antiphlogistica a Prof. Romberg imperata, nimirum venaesectiones parcae, plumbum aceticum (ter per diem

gran. dimidium), postea acetum digitalis, hirudinum applicatio ad strumam, epithemata frigida et strumae et cordis regioni imposita modo breve tulerunt auxilium. Haud magis kalium jodatum, ad debellandam cachexiam adhibitum, profuit, quare sanatio perfecta, longius post tempus sine medicaminibus ingressa, naturae beneficio tribuenda est.

Carolina Lenz, viginti annorum, sanis parentibus edita, ad decimum quartum vitae annum integra valetudine usa erat. Dicto anno catamenia accesserunt et per anni spatium normae consentanea, admodum copiosa per quinos senosve dies fluxerunt. Tum puellae grave subiit servitium viresque praeter modum intendere coacta cordis palpitationibus, exophthalmo, struma tentabatur, quam inter cordis palpitationes semper increvisse perhibet. Menses parciores evaserunt tertiaque vice omnino non intraverunt. Ex quo tempore morbi intensitas accrevit, puella pectoris oppressionem et anxietatem accusavit et, quamvis vegeto appetitu magnas ciborum portiones ingereret, per diuturnam lienteriam cum alvi obstipatione alternantem macilenta evasit.

Quum per triennium curationi medicae, de cujus indole nihil comperi, sine fructu sese commisisset, M. Februario h. a. policlinicum Universitatis adiit. Omnia adfuerunt anaemiae symptomata, oculi adeo prominuerunt, ut slceroticae segmentum lineas 2—3 supra et infra corneam cerneretur, modica autem pressione in orbitas retrudi potuerunt. Haec quoque puellae nunquam doloribus in orbita, nunquam photopsiis aut phantasmatibus n. optici labo-

raverat. Exploratione tumor glandulae thyreoideae haud nimis durus, ovi gallinacei amplitudinem aequans, inprimis medium et dextrum lobum occupans, deprehendebatur, cujus pulsatio intensa propter subjectam carotidem et cerni et tangi poterat; in carotide sub quovis impulsu strepitus follicularis levis brevisque audiebatur. In vasis colli supra claviculam permagna vibratio animadvertebatur. Arteriarum radial. pulsus parvus, frequentissimus (152 ictus) fuit; venae nihil obtulerunt anomali, id quod cordis dextri integritatem confirmavit. Cordis impulsus motu undulante a spatio intercostali secundo sinistro ad sextum, evidentissime inter tertiam et septimam costam, ubi manus imposita per eum attollebatur, cognosci potuit; idem impulsus quoque infra processum ensiformem in epigastrio usque ad dextrum sterni marginem apparuit. Sonus fuscus, circa sinistrum sterni marginem in spatio intercostali tertio ordiens, inde deorsum usque ad septimam costam et unum circiter pollicem sinistrorsum a mammae papilla audiebatur. Sub mamma sinistra strepitus follicularis systolicus fortis percipiebatur, sonum cordis primum paene obruens, secundum minus clarum reddens. Sursum et dextrorsum progrediendo strepitus follicularis magis magisque evanuit, ita ut in dextro sterni margine et in aorta ambo soni purissimi, in arteria pulmonali sonus secundus paulo occultatus esset.

Anaemiae ratione habita, Prof. Romberg ferrum et primum quidem tincturam ferri pomat. cum infuso radic. calami praescripsit, diaetam nutrientem et

commorationem sub dio adjunxit. A die Martis II usque ad medium Julium ferrum lacticum (initio gran. jjj ter per diem) cum pulvere radicis rhei praebebatur, deinde doses illius augebantur. Inde ad M. Septembrem usque medicamenta suspendebantur, tum ferrum sulphur. (gran. j ter per diem) exhibebatur, cujus in locum, quum effectus excitantis causa aegrotae non responderet, ammonium muriaticum ferruginosum substituebatur et ter per diem grana V in solutione praebebantur.

Qua curatione constanter administrata contigit quidem, ut anaemia depelleretur, nam puella faciem ostendit floridam, virium tantum recuperavit, ut longiores vias sine difficultate emetiatur; negotiis domesticis fungitur, lienteria cessit, sedes normae congruunt, oculorum prominentia, etsi periodice tantum, diminuta est, struma vero haud decrevit, imo in ea, praesertim in lobo dextro, sonus auditur musicus, tanquam duae laminae metallicae conquatiantur, pendens a compressione carotidis subjectae. Denique cordis strepitus abnormis idem mansit, sonus fuscus et impulsus cordis non minoribus quam antea finibus circumscriptus, catameniorum nullum vestigium adest. Prognosis igitur infausta apparet, nam hypertrophiam ventriculi sinistri cum dilatatione et valvulae mitralis insufficientia dignoscere oportet, qua de causa metuendum est, ne paralysis cordis aegrotae hujus vitam pariter atque Amalia Bourguette exstinguat.

EPICRISIS.

Quodsi, collatis omnibus hucusque observatis morbi

historiis, quae ad hanc rem pertinent, in ultimas hujus morbi causas inquiro, primum quaestio mihi obtruditur, utrum accidentalis exophthalmi, strumae et cordis affectionis consociatio sit. ita ut quisque horum morborum causae singulari originem debeat, an mutua inter eos ratio intercedat? Sententiam secundam amplecti placet, quoniam omnibus in casibus et decrementum et incrementum contemporaneum omnium symptomatum observatum est, cuncti enim auctores memoriae prodiderunt, ingravescentibus cordis palpitationibus oculorum bulbos longius processisse, strumam magis intumuisse similique ratione tria illa symptomata aequabiliter decrevisse, ex quibus certissime de eorum nexu concludamus oportet. Dispiciendum porro est, num omnia morbosa symptomata ex eadem causa profluant, an eorum unum alterumve fundamentalem morbum constituat, qui reliquorum fontem contineat. Quodsi alterum vero consentaneum esset, aut cordis affectio aut struma pro fundamentali morbo posset haberi, id quod argumentis in utramque partem prolatis confirmare licet. Nullo in casu cordis affectio desiderata est, imo in omnibus, uno excepto (Bode), primum symptoma obtulit, quamobrem haud temere aliquis suspicari possit, unamquamque cordis hypertrophiam, sicut sanguinis circuitum variis in partibus perturbare soleat, qnandoque etiam glandulae thyeoideae et oculorum hyperaemiam et insignes vasorum degenerationes efficere, quas struma et exophthalmus sequantur, itaque auctis palpitationibus etiam strumam et exophthalmum accrescere, quoniam

major sanguinis copia his partibus advehatur. At si concesseris, hypertrophiam cordis revera adessse, quae primaria, ut infra demonstrabo, non exstat, nulla unquam observatio docuit, tumorem quendam accidentalem hominis corde aegrotantis increvisse, arteriae enim nimium cedunt, quam ut tumoris incrementum tanta celeritate queat oriri. Denique primarium cordis vitium organicum haud exstat, sed secundarium, ut videtur, morbo diutius protracto violentiore cordis actione evolvitur. Mac Donnel scribit, in tribus a se observatis et in uno a Graves evulgato casu propria hypertrophiae cordis symptomata, nominatim abnormem soni percussionis fusci dilatationem, desiderata esse; idem strepitum abnormem systolicum in aorta non a valvularem vitio, sed ab impetuoso sanguinis motu repetit. Qui fieri potuisset, ut Basedow, Begbie, White Cooper perfectam restituerunt valetudinem; non magis enim, quam natura, quae aegrotum a Graves observatum pluresque alios sanavit, organicum cordis morbum ad involutionem adigere potuissent. Etiamsi Basedow instituta sectione cordis hypertrophiam cum substantiae muscularis atrophia et valvularum insufficientia deprehendit, meditari tamen oportet, morbum per novem annos perstitisse, itaque secundariam cordis hypertrophiam oriri potuisse, id quod etiam de Amalia Bourguette nunc defuncta, et de Carolina Lenz, apud quam, si physicae explorationi confidimus, certissime hypertrophia ventriculi sinistri cum valvulae mitralis insufficientia lo-

cum habet, valere videtur. Proinde primitus hypertrophia non exstat et cordis affectio morbum primarium non sistit.

Haud magis struma eam constituit, quanquam pariter ac aliae causae mechanicae paulatim cordis hypertrophiam efficere possit, nam Chelius de consecutivis strumae morbis adnotat, majore resistentia carotidum struma compressarum saepe cavitatum cordis dilatationem cum parietum attenuatione induci. Omnia autem argumenta eo refutantur, quod complicatio affectionis cordis cum exophthalmo plus semel sine struma observata est.

Proinde si neque cordis affectio, nec struma, neque exophthalmus morbum sistit fundamentalem, omnes vero istae affectiones intimum alunt nexum, quaenam primaria sit causa, ex qua omnes profluant, interrogatur. Et aetiologia, quam omnibus in casibus exposui, et plura alia fere semper observata anaemiae symptomata responsum ferri jubent, primariam affectionem in sanguinis dyscrasia, anaemia haud dissimili, cerni. Ubique enim hanc affectionem morbi totum corpus debilitantes, nutritionem gravius offendentes, ut diarrhoeae diuturnae aut lienteriae, fluor albus pertinax, molimina haemorrhoidalia, apud mulieres mensium suppressio, lactatio nimis protracta, denique animi affectus deprimentes, anaemiam facillime causantes, antecesserunt. Qua cum dyscrasia etiam symptomata, quae ab anaemia nunquam absunt, ut strepitus in carotidibus, susurrus, qui in struma manu imposita senti-

tur, consentiunt. Affectio autem cordis, qualis nostro in morbo occurrit, frequens anaemiae symptoma exhibet, nec non struma saepe dyscratica sanguinis indole evolvitur, e. gr. in vallibus profundis, ubi montes altiores aëris repurgationem fieri non patiuntur, et in regionibus malariae obnoxiis, in quibus miasmate atmosphaerae admixto sanguinis decompositio creberrime existit, endemica observatur. Huc accedit, quod apud mulieres (inter unum et triginta hucusque observatos casus octo et viginti fuere foeminae) turbata catamenia jam per se glandulae thyreoideae tumescentiam efficere queunt, etenim puellis et mulieribus inter menstruationem, aut post suppressam leucorrhoeam diuturnam haud raro eam supervenire constat. Struma primitus aneurysmatica est, non modo autem arteriarum thyreoidearum dilatationes oriri, sed etiam hypertrophiam telae cellulosae glandulae evolvi, ut Basedow adnotat, ex eo apparet, quod apud plures aegrotantes (inter quas Amalia Bourguette et Carolina Lenz, in policlinico Ill. Romberg curatae) tumor aequabiliter expansus duritiem elasticam, imo lapideam, induit, qua exorta vibrationes ejus desierunt. Evidentissime autem hoc argumentantur sectiones, Basedow enim glandulam hydatidibus et varicibus pertextam reperit, Marsh multas cystas claro liquore impletas in ea occurrisse refert. Ad oculorum prominentiam animum attendens primum sententiam a Pauli et Sichel propositam, qui nihil nisi humoris aquei accumulationem, itaque hydrophthalmum esse perhibent, rejicio, etenim hy-

drophthalmus semper magno cum dolore et visus perturbatione, quae ad amaurosin evehi potest, accedit, quorum nullum vestigium in casibus observatis exstitit, imo in exemplo quodam a Basedow evulgato bulborum destructorum trunci humore aqueo lenteque crystallina deperditis adhuc prominuerunt. Itaque haec oculorum prominentia exophthalmum designat, qui auctore Juengken ex dilatatione vasorum, stratum orbitae adiposum nutrientium, prodit, judice Romberg fortasse a chorioideae intumescentia pendet, teste Basedow hypertrophiae telae cellulosae in orbita originem debet.

Jam dudum innotuit, mensium perturbationes, inprimis autem cordis hypertrophias, oculorum intumescentiam efficere posse, nunquam tamen antea his in casibus prominentia bulborum observata est. Explicari quidem haec intumescentia potest oppletione et dilatatione arteriarum ophthalmicarum, quae intra cavum cranii ex carotidibus internis proficiscuntur, cui interpretationi etiam arteriarum illarum amplificatio, inter sectionem aliquando inventa, respondet, attamen propria exophthalmi causa adhuc tenebris occultatur, ipsa enim sectio a Basedow divulgata, diligentissime administrata, negativum tantum eventum obtulit, neque hydropem neque pseudoplasma in orbita positum in causis esse contestans.

Prognosis bona affulget, quamdiu cordis affectio primaria est, attamen morbus facile fit recidivus; sin cordis vitium organicum secundarium prodiit, pessima

illa apparet, quia mors ex cordis paralysi metuenda est.

Curatio id agat necesse est, ut dyscratica sanguinis indoles debelletur, quare roborantem esse oportet. Proinde ferrum, victus nutriens, commoratio in aëre puro, salubri imperentur. Methodus antiphlogistica, quae initio propter ingentes cordis palpitationes pectorisque oppressionem adhibebatur, repudianda est, perinde ac pellentia remedia, quoniam sublato morbo fundamentali menses sponte revertuntur. Sin vero, depulsa dyscrasia mensibusque restitutis, symptomata persistunt, cordis hypertrophiam accesisse, certo argumentantur, quam palliativis tantum remediis impugnare licet.

VITA.

Natus sum ego Ferdinandus Nathanson fidei veteri addictus, Berolini die XII mensis Decembris, A. h. s. XXVII patre carissimo Arone, quem Deus optimus maximus usque ad senectutem incolumem servet, matre Pulcheria e gente Loewenstein, quam praematura morte mihi ereptam vehementissime lugeo. Primis litterarum elementis imbutus puer duodecim annorum gymnasium adii hujus urbis Coloniense, ibique directore Cel. August per sex annos litteris humanioribus operam navavi. Maturitatis testimonio instructus paschali tempore anni h. s. XLVI hanc almam litterarum universitatem Berolinensem petii, ibique a rectore

magnifico Ill. Trendelenburg inter cives academicos receptus beato nunc Hecker t. t. gratiosi medicorum ordinis decano nomen dedi.

Intra quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Link de botanice, de historia naturali; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali et organica; Ill. Dove de physice, de meteorologia; Ill. Rose de mineralogia; Cel. Michelet de logice et metaphysice; Beat. Hecker de psychologia, de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Schlemm de osteologia, de syndesmologia, de sensuum organis; idem cum Ill. Mueller dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi; Ill. Mueller de anatomia universa et de sensuum organis, de anatomia comparata, de physiologia; Exp. Simon de histologia, de pathologia et therapia generali, de morbis cutis; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Cel. Troschel de arte fascias rite imponendi; Ill. Casper de medicina forensi; Cel. Boehm de ophthalmologia, de diagnostice chirurgica. Idem me docuit artem operationes chirurgicas in corpore mortuo rite instituendi. Ill. Virchow de anatome pathologica; Exp. Traube de auscultatione et percussione.

Exercitationibus clinicis et policlinicis interfui medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, nec non syphiliticis virorum Ill. et Cel. Schoenlein, Romberg, Juengken, Langenbeck, Angelstein, Busch, Simon.

Jam vero inde a Kalendis Aprilis munere medici militaris voluntarii fungor duce medico legionario Cel. Dr. Hauck.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas possum semperque habebo.

Nunc autem tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

1. Venaesectionem e curatione pneumoniae rejicere licet.
2. Herniae incarceratio spastica non exstat.
3. Scrophulosis et tuberculosis eandem sistunt dyscrasiam.
4. Dentibus vita inest.
5. Morbi complures cutanei a nervis pendent, quorum in numero herpes zoster, prurigo senilis alii sunt habendi.
6. Nutrices infantum obrogandae sunt.